



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

VI. Maximus damnatus confugit ad Episcopos Italos; qui patrocinium ejus suscipiunt, damnata Nectarij ordinatione. Causa ejus actitatur in Concilio Aquileiensi sub Ambrosio, ex quo scriptum est ad ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

consuleretur ex usu publicæ pacis atque concordie; quia revera advertebamus Gregorium nequaquam secundam traditionem patrum Constantinopolitane Ecclesie sibi sacerdotium vindicare.

III. Præter illam porrò epistolam generalem, Damafus aliam seorsum dedit ad Acholium, à quo & ipse seorsum ab Episcopis scriptam epistolam acceperat de ordinatione Maximi, ad eumque rescripsit non sibi placuisse ordinationem illam, hortaturque eum dare operam uti catholicus Episcopus in Constantinopolitana urbe constituitur. *Ad literas sanctitatis tue, inquit, plenè rescripsi non mihi placuisse quòd nescio quem Maximum ex Ægypto venientes conatum vel maximè, cuius habitus juxta Apostolum ignominiosus esset, Constantinopoli Episcopum ordinare voluissent. Rectius igitur fecerit sanctitas tua, si dederit operam ut de cetero catholicus constituitur, cum quo nobis Deo propitio possit pax perpetua perdurare.*

Apud Hollen.
Pag. 41.

IV. Ex his Damasi epistolis collegerunt viri docti, uti jam diximus, Acholium Damasi Legatum fuisse in secunda synodo œcumenica; cum tamen nulla illic legationis illius vestigia extant, repugnèque præterea auctoritas epistolæ Concilij Italici ad Theodosium, quæ docet Acholium non venisse sponte sua ad Concilium, sed invitatum ab Episcopis orientalibus. Quòd si quis tamen contentionis studio vellet omnino ex illa epistola colligi Acholium in ea synodo tenuisse locum Damasi, propterea quòd ei Damafus injungere videtur ut in Concilio Constantinopolitano catholicum Ecclesie huic Episcopum ordinari procuret, is certè fateatur oportet non uni Acholio commissas fuisse Damasi vices, sed Eurydico etiam, Severo, Vranio, Philippo, & Iohanni, quibus hanc ipsam curam disertis verbis imponit Damafus, atque ita in plures divisam esse auctoritatem quam illi uni Acholio tributam volunt. *De cetero commoneo sanctitatem vestram, ut quia cognovi dispositum esse Constantinopoli Concilium fieri debere, sinceritas vestra det operam quemadmodum prædictæ civitatis Episcopus eligatur qui nullam habeat reprehensionem; ut Deo propitio cum integra pax catholicorum Sacerdotum fuerit confirmata, nullæ deinceps dissensiones in Ecclesia oriantur, ut præstante Deo, quod jam dudum optavimus, cum catholicis sacerdotibus possit pax perpetua perdurare.* Præterea, valde accusanda esset Acholij contumacia, qui non vi mandatorum Damasi Constantinopolim accefferit, sed postquam rogatus & evocatus fuit ab Episcopis orientalibus.

Apud Hollen.
Pag. 41.

V. Dum hæc Constantinopoli agebantur, Theodosius Imperator apud Theffalonicam baptizatus est ab Acholio anno trecentesimo octuagesimo. Is ergo initia fidei

sua consecrare cupiens insigni aliquo facinore, nihil illustrius se facere posse putavit, sic fortassis ab Acholio persuasus, quàm si recens Ecclesie Constantinopolitane schisma sedaret. Ea de causa Concilium in ea urbe convocavit, in quo, ut Socrates & Sozomenus tradunt, tum Nicæni Concilij decreta confirmarentur, tum ordinaretur aliquis qui Constantinopolitanæ sedis episcopatum administraret. Advenientes in regiam urbem Episcopi, primò segregantes se ab Episcopis Ægyptiis, sacros conventus cum Gregorio egerunt. At vir pacis amantissimus, cum videret discordiam inter Episcopos esse subortam propter ordinationem suam in Ecclesia Constantinopolitana, ad eamque redintegranda illos fuisset congregatos, primùm orare uti cum jam de concordia constituida convenissent, ea quæ ad concordiam mutuam spectarent, unius hominis injuria præferre velint, abiturum se lubenter episcopatu tantæ urbis, quietem porrò ac tranquillitatem sibi cariorem esse; conquirerent itaque virum præstabilem & sapientem, qui provinciam tam plenam curarum tum capeffere tum probè administrare posset, eumque Episcopum designarent urbis Constantinopolitanæ. His rationibus persuasi patres, cum inter se de negotio magni momenti deliberarent, literas ad Acholium Theffalonicensem Episcopum miserunt, orantes uti Constantinopolim veniret, ut cum ejus judicio sive consilio de regie urbis episcopatu decernerent. Gregorio itaque se episcopatu illo abdicante, Nectarium in loco ejus ordinarunt, Maximum autem episcopali dignitate spoliarunt, eique Ecclesia interdixerunt.

VI. Videns ista Maximus, in Italiam se contulit, ut Pontificum Italarum, sed præcipuè Damasi Romani & Ambrosij Mediolanensis, quorum ea tempestate summa auctoritas erat, favore fultus, Nectario reprobo, Constantinopolitanam Ecclesiam retinere posset. Constat autem Nectarij ordinationem initio non placuisse Damaso. Itaque affirmare possumus Damasum & occidentale Concilium hoc Maximi confugium approbasse, eamque occasionem explicandæ auctoritatis Romanæ & occidentalis Ecclesie in sedem Constantinopolitanam avidè arripuisse. Hinc factum ut in Concilio Aquileiensi sub Ambrosio, quod generale erat ex Occidente, cuique Damasi auctoritatem ex eo inter cetera intervenisse colligitur quòd de illo congregando Gratianus Imperator ad eum scripsit, ut fidem facit auctor Synodici, in Concilio inquam Aquileiensi, damnata Nectarij ordinatione, ita approbatus sit Maximus, ut Episcopi ex eo Concilio ad Theodosium

Thimos
lib. 1. c. 14.

Apud Hollen.
Pag. 41.

Vide Hollen.
in Notis
pag. 41.

apud Hollen.
pag. 41.

Theodosium rescripserint nihil habuisse se in quo de episcopatu ejus dubitare possent, cum etiam vim sibi repugnantem a plerisque etiam de populo & clero testatus esset illam; neque aliter redintegrari posse concordiam inter occidentales & orientales, quæ propter hanc causam soluta & dissociata fuerat, quam si posthabita & cassata Nectarii ordinatione, Maximus, utpote prior ordinatus, sedi Constantinopolitanae redderetur; si verò obtineri id non posset, certè causa utriusque coram Damaso retractaretur in synodo Romana, ad quam Episcopi ex Occidente & Oriente convenirent.

VII. Huic Concilio Aquileiensi præfuisse Ambrosium Episcopum Mediolanensem vetera illorum temporum monumenta probant. Auctor verò Synodici addit Acholium quoque Thessalonicensem synodi præsidem unà cum Ambrosio fuisse; cum tamen ille neque in epistolis synodicis nominatus invenitur, neque in Actis quæ nunc extant ejusdem Concilij. Ex eo tamen synodici loco viri clarissimi Lucas Holstenius & Petrus Franciscus Chiffletius collegerunt Acholium Damasi Legatum fuisse in Concilio Aquileiensi, eo nimirum argumento persuasi, quòd synodo Aquileiensi, quæ in Italia cogebatur extra Diocesim Illyricianam, interesse non potuerit nisi sub umbra legationis apostolicæ sedis. Ego verò fateor valde dubitare me an Acholius præfens fuerit in Concilio Aquileiensi. Ceterum huic interfuisse potuit etiam ut Episcopus Thessalonicensis, utpote unus Episcoporum Occidentis, adeo ut opus non sit recurrere ad vices Damasi. Immo Legatum ejus illuc non fuisse vel ex eo colligerem (tamen concederem illum interfuisse synodo) quòd primum ubique locum obtinet Ambrosius in epistolis synodicis, in quibus Acholius ne nominatur quidem, quod est omnino infra dignitatem ejus qui Vicarius esset Romani Pontificis. Nunc ad causam Maximi & Nectarii revertamur.

VIII. Imperialibus itaque literis, ut Hieronymus ait, Romam ob disensionem Constantinopolitanæ, Antiochenæ, & Hierosolymitanæ Ecclesiarum contractis Orientis & Occidentis Episcopis anno CCCLXXXII. adfuit etiam Acholius, unus videlicet occidentalium; orientales verò Constantinopoli substituerunt, tamen & Imperatorum rescriptis & occidentalibus Concilij literis Romam evocati fuissent. His literis occidentales, ut ex orientalium epistola colligitur, hortabantur orientales ad pacem Ecclesiarum, nominatim agentes de ordinatione Nectarii, cujus causam in synodo Romana retractandam

esse contendeabant juxta postulata prioris synodi. Adfueritne Maximus, annon, à nemine traditum invenio. Probabile tamen est adfuisse in synodo quæ propter eum celebrabatur, & quam Episcopi Italiae, gratificari ei cupientes, ab Imperatoribus congregari petiverant, præsertim cum ipse averfos à se videns animos Episcoporum orientalium ac Theodosij Augusti, quorum studia ad Nectarium conversa erant, in Italiam se contulisset, ut causam in synodo ageret suam, quemadmodum loquuntur Episcopi Concilij Italici ad Theodosium. Vt cunque se res habeat, certum est causam Maximi tristes exitus habuisse, melioremque fuisse Nectarii conditionem.

IX. Rediit deinde Ecclesiis concordia post scriptam ab orientalibus epistolam ad Damasum Papam & ad synodum Romanam, quæ extat apud Theodoretum, in qua jure factam Nectarii ordinationem pertinacissimè, licet verbis perquam modestis, affirmabant. Nam hæc omnino sunt verba eorum: *De administrationibus autem quæ sunt cujusque Ecclesie proprie, cum vetus, uti nostis, lex est, tum sanctorum patrum in Nicæno Concilio decisa, ut videlicet singularum provinciarum antistites, unà cum finitimis, modo ipsis ita visum fuerit, Episcopis, ministros ad Ecclesiarum commodum in suis ipsorum provinciis ordinent. Ex cujus legis & definitionis præscripto scitote tum aliis quoque Ecclesias apud nos administratas esse, tum illustrissimarum Ecclesiarum Sacerdotes delectos. Unde Ecclesia Constantinopolitana recens, ut ita dicam, edificata, quamque ex hereticorum blasphemia tanquam ex ore leonis per misericordiam Dei nuper eripimus, reverendissimum sanctissimumque Nectarium in Concilio generali, communi omnium consensu, præsentis Theodosio Imperatore religiosissimo, totius denique Cleri totiusque civitatis suffragiis, Episcopum constituimus. Et infra: Quibus rebus tanquam legitime & secundum Ecclesie canones constitutis obsecramus vestram reverentiam uti congratuletur, spiritali caritate nos mutuo devinciente, & timore Domini, qui omnem humanam affectionem reprimat, Ecclesiarumque edificationem amori illi & benevolentie, qua singuli singulos complectuntur, longè anteponit.*

X. Negotium illud pacis & concordie prudenti usus consilio consummavit Theodosius Imperator, missa ad Damasum illustri legatione, ut ei significaret ordinationem Nectarii, quæ communi omnium consensu sub præsentia Principis & Concilij generalis peracta fuerat, utque formatam, id est, literas communicatorias, pacis symbolum, ab eo ad Nectarium mitti secundum morem debere insinaret. Memoriam tantæ rei de-

Theodoret. lib. 5.
lib. eccles. cap. 24

Vide infra lib. 74
c. 4. §. 10.